

## Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

### Wersja sandomierska

Rękopis Rosyjskiej Akademii Nauk w Sankt-Petersburgu, sygn. Ban. F 143, k. 134r

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 103 [Gn. 100]

[103] Nunc<sup>a</sup> attendatur, si scultetus aliquem impedierit in sua querela et sibi iusticiam non fecerit, et si hoc sibi iniuste recusavit. Si super eo coram castellano aut advocato impulsatus fuerit cum testibus, extunc nisi cum testibus evadere potest. Cum qualicunque testimonio super iudicem querulatum fuerit, tali testimonio ipsum evadere opportebit, sive sint scabini aut alii astantes iudicio. Si autem hoc coram iudicio bannito actum fuerit, tunc melius vinci potest testibus iure, quam cum testibus evadere possit. Si autem vir cedere voluerit a testimonio et ipsum inculpare cum suo scitu, de quo unica manu evadere potest. Quando querimonia coram advocato super ipsum facta fuerit pro hac causa, pro eo respondere tenetur sine mora, ita quod ibi sit iudicium bannitum, quia ipsum opportet esse ibi presentem, nisi legale impedimentum ipsum occupaverit. Quod impedimentum statim probare oportet. Si hoc non ostenderit et non nominaverit, et hoc per iusticiam denegaverit facere et se excusare de sua iniuria, quam exercuit, et se ad iusticiam exhibere [debet], extunc condemnatur advocato in decem talentis idem scultetus et illi suum debitum, de quo denegavit, facere iusticiam, et medio tempore quo illi non solvit solus, aut se iure excusaverit iudicio proximo, tunc medius iudicio esse non potest, nisi se ex hac culpa eximerit, secundum ut est premissum. Si autem pro facto criminali iudicium facere recusavit, sicut pro homicidio aut vulneribus, aut furtu, aut spolio, aut violencia, incendio, aut hiis similibus, que criminalia facta tanguntur, idem iudicium super eum ire, quod super illum ire debuerat<sup>b</sup>, pro eo nec recompensam aliquam facere potest, si in hiis vincitur, ut iuris est. Sin autem vir productus in captivitatem presentatus fuerit ad tenendum, dum iure ipsum evaserit aut amiserit absque sua culpa aut negligencia pro crimine, quod transit ad collum, pro eo solvet integrum recompensam. Si autem pro manu, tunc medium solvet recompensam et hoc iuramento tacto sacramento iurare oportet, quod si parcere noluerit, et quod ipsum absque omni sua culpa evasit. Integra recompensa facit xviii talenta, media recompensa facit ix talenta.

<sup>a</sup> ozdobny iniciał N wysokości dwóch wersów; <sup>b</sup> poprawione z dabuerat

[hasła: sołtys, skarga, sprawiedliwość, przestępstwo sądowe, uwolnienie od skargi, ławnik sędzia, odpowiedzialność, przeszkoda, świadek, wójt, skazanie, dług, wina, przestępstwo, kradzież, zranienie, zabójstwo, podpalenie, kara śmierci, zapłata, wynagrodzenie, przysięga, kościół]